



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

LIX. Subdit Ministro Generali Minorum de Observantia Conventum S.  
Bonaventuræ Lugdunensem ab ejusdem obedientia se  
subtraheretentatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terrae de Leverano Brundusini. Dicesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem elemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsum Parochorum, & Presbyterorum secularium Ecclesiis sepeliebantur: Emanavit die 7. Decembris 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis videlicet.

Decretum Sac. Cong.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita ad tollendas indebitas exactiones, quae ut praepontur, in tumultandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout praesentis Decreti tenore injungit Archiepiscopo Brundusino, caeterisque locorum Ordinariis ne permittant, ut Parochi, alique de Clero seculari majorem post hac elemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium praedictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri secularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Die 7. Decemb. 1640. Et subinde cum tunc existentes Fratres Provinciae Dalmatiae dicti Ordinis Congregationis praefatae exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturae mandarentur facere ad eos, non autem ad Parochos spectare: Congregatio praefata die 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet.

Aliud Decretum.

§. 2. Sac. Cong. Eminentissimorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attentis narratis juxta alias resoluta censuit functiones funerarium super cadavera defunctorum quae in Ecclesiis Regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint ad ipsos Regulares non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in oratorum Ecclesiis circa praemissa servandum esse prout servari mandat & praecipit, contrariis non obstantibus quibuscumque die 31. Augusti 1657.

Confirmat hic Pont.

§. 3. Cum autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariae à Castro Sancti Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis praefati nobis nuper expositum fuit ipse Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summo perè desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariae Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta praesentia auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium, inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, &

fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, si que in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Contratio- rum derogatio.

Dat. P. An. die 18. Jan.

Subdit Ministro Generali Minorum de Observantia Conventum S. Bonaventurae Lugdunensem ab ejusdem obedientia se subtrahere tentantem.

LIX.

De his Fratibus plura annotata in Repertorio inveniunt in verbo Fratres.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1672.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Rhini à Politio Minister Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ante triennium tunc existentes Fratres Conventus Sancti Bonaventurae Civitatis Lugdunen. Provinciae ejusdem S. Bonaventurae dicti Ordinis, ut male ordinatae eorum vitae reformationem evitarent, se dictumque Conventum jurisdictioni Ministri Generalis Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum subjicere tentarent, Congregatio tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita ad quam super ejusmodi novitate recursus habitus fuerat, decrevit eundem Conventum sub jurisdictione Ministri Generalis dicti Ordinis Minorum de Observantia sicut antea remanere debere, idque executioni mandatum fuit, nec quidquam novi ultra tentatum, praeterquam, quod cum dictus Franciscus Maria Minister Generalis ad visitandas, reformandas Galliae Provincias dicti Ordinis iussu Nostro profectus fuisset, Fratres Conventus praefati, & cum illis una eorum Guardianus, intercessione Venerabilis Fratris Archiepiscopi Lugdunen. Litteras commendatitias à Charissimo in Christo filio Nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo obtinuerunt ad hoc, ut eis Licentia assumendi statum Secularem, cum eorum Conventus, seu Ecclesiae in Collegiatam Ecclesiam erectione ab hac Sancta Sede impetraretur.

Causa Constitutio.

§. 1. Verum his ad notitiam dicti Francisci Mariae Ministri Generalis deductis, ipse Franciscus Maria Minister Generalis, eundem Ludovicum Regem adiit, & ab ejus pietate obtinuit revocationem dictarum Litterarum, atque ita exclusiva fuit novitas Religionis perniciose, sublatraque occasio mali exempli, quo Fratres aliorum Conventuum ad similia procuranda, reformationis, quam humana fragilitas averfatur, evitanda causa, adduci potuissent.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio sub- jungebat dilecti filii Fratres dicti Conventus Lugdunen. pro majori eorum parte cum dilecto pariter filio Petro Quinton eorum Guardianus, & rebelliosis antesignano uniti ad tantam devenissent insolentiam, ut sub praetextu, seu spe Litterarum Apostolicarum, per quas eorum professio

annul-

annullaretur, obedientiam non solum eorum Ministro Provinciali, sed etiam Visitatori, & Commissario delegato Reformatore à Nobis nominato, negare præsumperint; dictus verò Franciscus Maria Minister Generalis ne dictus Conventus, qui ex primariis Ordinis præfati existit, & in quo Sancti Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris, qui ibidem sanctæ conversationis meritis refulsit, & in Domino obdormivit caput (ut piè creditur) aservatur, in profundum malorum descendat, ac pernicioso exemplo alios quoque ejusdem, & aliarum Franciæ Provinciarum Conventus in ruinam trahat, opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desideret.

§. 3. Nos ipsius Francisci Mariæ Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio inhærentes, Decreto aliàs videlicet die 31. Maji 1669. edito, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus dictum Conventum Sancti Bonaventuræ Lugdunen. Civitatis perseverare debere, ut antè sub omnimoda jurisdictione Ministri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum: Ac propterea strictè mandamus Guardiano, cæterisque ejusdem Conventus Fratribus, ut in omnibus eidem Ministro Generali, necnon Ministro Provinciali ipsius Provinciæ, ac Visitatori, itidemque Reformatore ad præscriptum Sacrorum Canonum, Sacri Concilii Tridentini, Apostolicarum Constitutionum, & Ordinis prædicti omninò pareant, atque obediant; Et adversus parere recusantes prout juris fuerit animadverti dicta auctoritate harum serie præcipimus.

§. 4. Decernentes easdem presentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: Sicque jus respectivè inviolabiliter observari.

§. 5. Siquè in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Conventus, ac Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Februarii 1672. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Beatificatio Servi Dei Pii Papæ V. ejusque Missæ, & Officii certis in locis concessio.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNigenitus Dei filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, cum sanctos, atque electos suos, eos præsertim, quos gregis sui Pastores constituit secundum cor suum, creditæ dispensationis munere piè, fideliterque peracto, non solum æternæ beatitudinis præmiis donat in Cælis, sed etiam illorum sanctitatem sequentibus signis testatam, celebremque facit in terris, humilitati Nostræ, quam Ecclesiæ suæ sanctæ, nullo licet meritum Nostrorum suffragio, præficere dignatus est, luculenta proponit exempla, quæ ipso donante, atque adjuvante pro modulo infirmitatis Nostræ humiliter sequi conitatur. Undè cum inter Dominici gregis Pastores Apostolici zeli atque vigoris gloria, pastoralisque charitatis & vigilantæ laude, & sanctæ humilitatis, aliarumque omnium virtutum fulgore quasi stella matutina in medio nebulæ longè latèque resplenderit Dei servus fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor Noster, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, & in diebus suis corroboravit templum: meritò adducimur, ut illius honorem, atque venerationem, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ decus, Catholicaque fidei præsidium, ac spiritualem fidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur promovere studeamus.

§. 1. Cum itaque maturè, diligenterque discussis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum processibus dudum de Apostolicæ Sedis licentia confectis, ac etiam subindè repetitis super vitæ sanctitate, heroicisque virtutibus, & aliis charismatibus, quibus idem servus Dei Pius Papa V. Prædecessor Noster multipliciter claruisse, ac miraculis, quæ ejus intercessione, ac ad manifestandam illius sanctitatem à Deo patrata fuisse asserbatur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, præviis etiam Consultorum suffragiis unanimiter censuerit, posse quodcumque Nobis placeret, memoratum servum Dei Beatum declarari, atque indulgeri, ut de eo tanquam de Confessore Pontifice in quibusdam locis officium, & missa recitari, & celebrari possint.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis multorum Orthodoxorum Regum, aliorumque Principum, ac totius Ordinis Sancti Dominici, in quo præfatus servus Dei Pius Papa V. dum in minoribus constitutus erat, professionem regularem emisit, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Pius Papa V. in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu semiduplici in omnibus Ecclesiis tam secularibus quam regularibus utriusque sexus recitetur officium, & missa celebretur de Confessore Pontifice singulis annis juxtà rubricas Breviarii, & Missalis Romani die quinta Maji, quæ prima est non impedita post diem primam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit.

§. 3. Hæc verò, nempe recitationem officii, & missæ celebrationem fieri concedimus in locis dumtaxat

LX.

Edita A. D.  
1672.

Exordium.

Confectis  
processibus,  
& probatis  
virtutibus.

Pium PP. V.  
Beatum de-  
clarat.

Officium,  
& missam

taxat

Declarat,  
ut in subr.

Decretum  
imitans.

Nec aliter  
judicari posse  
decernit.

Contrariis  
derogat.

Dat. P. A. 2.  
die 17. Febr.